



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Metrica Paraphrasis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

11. Et si dormierint duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet?
12. Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficilè rumpitur.

## METRICA PARAPHRASIS.

**S**I fata curis Japeti genus  
 Pressum fatigant mille doloribus,  
 Lassique damnatum laboris,  
 Herculeam superare Lernam,  
 Saxumve cogunt voluere Sisyphi;  
 Ne sortis vnum conterat aspera  
 Necessitas, nec pinguis vni  
 Irriguo fluat ore sudor:  
 Sed esto consors, qui sociâ fide  
 Responset, alter: qui pariter iugo  
 Succollet, ac fructus laboris  
 Participet sociale munus.  
 O vita felix, quæ sociat duos,  
 Mentefque iungit non dubiâ fide!  
 Queis priua nil quidquam cupido  
 Sepositi iubet esse questus.  
 Non certet illis diuitiis Midas,  
 Non fundus amplis luxurians satis,  
 Non arbores fructu superba,  
 Quas & aqua recreant, & aura.  
 Consors amoris nil cumulat sibi,  
 Et gaudet heres esse superstiti,  
 Nec disparez gazas recondit  
 Fœdus amicitie sodali.

*Si rebus anceps in trepidis opem  
Fortuna poscat, subsidio est amor.*

*Si fors nouercali ruinam*

*Impulerit malè fida dextrâ;*

*Est quæ ruentem dextera fulciat,*

*Rebusque pandat depositis sinum,*

*Blandoque soletur gementem*

*Alloquio, sociisque curis.*

*Non sic profuso uena redit mero,*

*Nec lampas haustâ Pallade promicat,*

*Vt blanda torpentes amici*

*Suada animos recreans serenat.*

*Non sic iugalis connubij torus*

*Calore strati corpora confouet,*

*Vt mentibus flammam iugatis*

*Ignis amicitie ministrat.*

*At si quis orbis coniuge secubat,*

*Miser uacius in thalamis riget.*

*Sic quisquis optato recusat*

*Fœdere consociare mentes,*

*Hic mille uitam destituit bonis.*

*Si mœror atris nubibus incubet,*

*Heu! cuius in sinu doloris*

*Parturiet lacrymosus imbres?*

*Si fors ab alto præcipitem gradu*

*Iniurioso proruerit pede;*

*Quisnam à ruinâ vindicabit*

*Fœdera amicitie perosum?*

*Rectè ille rebus consulit asperis,*

*Qui fida amoris præsidia occupat.*

*Quis mucro sic fractum Gradino*

*Aut clypei tueatur umbo?*

Cinctum periculis puluere Martio  
 Propugnat alter. Scimus ut inclytus  
 Amore, Pelidæ quadrigis  
 Automedon tulerit salutem.  
 Quin & sub ictu se Pylades vadem  
 Maiore Atridâ pro genito stitit:  
 Nec fractus Ægidæ periculis  
 Pyrithous Phlegethonta vidit.  
 Hos omnis etas Mnemosynes sacrat  
 Aris; frequentes his cauea strepunt  
 Plausu theatri. Quid ergo  
 Si triplici coière fune  
 Mentis amicæ, fidaque robora?  
 Non certet illis centumanus Gyges,  
 Non orbe terrarum subactò  
 Amphitryoniades triumphans.

## PROSA EXEGESIS.

VANISSIMOS hominum labores cum vitæ solitu-  
 dine continuatos paulò antè damnauit Ecclesia-  
 stes: nunc huic vanitati remedium suggerens, socialis  
 vitæ commoda cum solitudinis incommodis in con-  
 tentionem adducit: non quòd virum bonum ac sapien-  
 tem ad benè beateque viuendum ab humanæ societatis  
 adminiculis velit pendere; aut etiam, quòd cælibatui  
 vitam coniugalem anteponendam existimet, si ratio-  
 nibus aternis rem pensitemus (neque enim hîc vlla de  
 summâ beatitatis quæstio est:) sed hoc vnum dispu-  
 tat, multò plus commodi ad fluxam hanc fragilemque  
 vitam à societate atque amicitia, quàm à solitudine  
 promanare.

Quare ut umbras omnes ac nebulas à veritate dif-  
 cutia-

Socialis vi-  
 ta commo-  
 da.